

primo. Ex versione autem Joannis Christoforsoni, sic inquit Eusebius, quo ego utor: (x) *aliam porro (Papias) narrat historiam de muliere, quæ multorum criminum apud Dominum esset insimulata; quam quidem Evangelium secundum hebræos complectitur.* Quid mirum igitur si canones Apostolici, qui voce tantum traditi sunt, non statim inter ecclesiasticas regulas admissi sint, quando etiam ipsius Evangelii capitula non statim cum eodem Evangelio recepta fuisse conspicimus?

2. 12. Pauli epistola ad hebræos non fuit aliquando ab Ecclesia latina rejecta, sicut & Joannis Apocalypsis à Græca? en Hieronymi testimonium: (y) „ Epistola, quæ inscribitur ad hebræos, non solum „ ab Ecclesiis Orientis, sed omnibus græci sermonis „ scriptoribus, quasi Pauli Apostoli recipitur; licet „ plerique eam vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur. Verum nihil interest cujus sit, cum sit ecclesiastici viri, & quotidie Ecclesiarum lectione celebratur. Quod si eam latinorum consuetudo non recipit, nec græcorum quidem Ecclesiæ Apocalypsim Joannis eadem libertate recipiant, ” hæc Hieronymus: nec mirum, nam antiquitus plurimi Apocalypsim antiquare contenderunt, ut ex Dionysio Alexandrino refert Eusebius (z) ” Dionysius, inquit, paulo post in eodem libro de Apocalypsi Joannis ista refert: quidam ante nos librum Apocaly-

x *Eus. l. 3. hist. c. ultim.* y *Hie. in epist. ad Dardanios.* z *Eus. l. 7. c. 26.*